

160

158

164

154

169

149

209

109

259

059

Ende

Anfang

145

cumbam suam et hoc frequenter facit, eum non noscentes
furem suspicantur. Si autem omnino propter causas manere
in stantia sua non potest, ascendat et super onera, quae in
marginibus galæae sunt, sedeat, pedesque contra mare depen-
dere permittat, tenens se ad funes mali. Experientia multa
de his docebit, quae homo in principio narranti vix crederet.
Caveat peregrinus dum superius ad aliquem locum sedet, ne
super funes sedeat, ne inopinata aëre mutato cum fune pere-
grinus projiciatur aut laedatur. Et nullo modo manu tangat
funes, dum eos trahunt, ne sibi manus, aut digitus violenter
eruatur, sicut saepe factum est: quia tractus illi sunt fortissimi
et gravium ponderum. Consideret etiam peregrinus ne sedeat
ad locum, ubi super eum dependent trochleæ, et in casu
arcus ipse aut graviter laedatur aut certe extinguitur, sicut
contigit illi gubernatori, de quo fol. 16. B. dictum. Caveat
etiam ne galèotis incipientibus currere ad labores impedimen-
tum cursus præbeat, quia eum, si etiam nobilis multum esset,
vel episcopus, trudunt et deorsum dejiciunt, super eumque
procurrunt, quia labores navales sunt celerrimi et ignei, nec
capiunt moram. Nec intromittat se de laboribus eorum, nec
manum apponat pro adjutorio, quia non est eis gratum, et
praecipue nocturno tempore non maneat superius cum eis
existente tempestate. Caveat etiam ut caute sessum capiat,
ne sedendo haereat, quia omnia sunt pice linita, quo liquato
ad solis calorem, si aliquis desuper sedet, inquinatus recedet.
Videat etiam ne causa solatii sedens super margines galæae,
aliquid dilectum manu teneat, et sibi de manu in mari labatur.
Cuidam nobili ibi mecum sedenti cecidit unum paternostrum
de lapidibus pretiosis, quod sibi fuit dilectissimum et pro
multis ducatis non dedisset, et irrecuperabiliter amisit. Sic
mihi ibi sedenti et vigilias mortuorum legenti cecidit libellus
de manu in fretum et periit, et multa sic labuntur de manibus
incautorum, praesertim tempore ventorum pilei de capitibus.
Caveat etiam peregrinus, ne nocte lumen sursum portet, quia
marinarii hoc miro modo invite habent, nec sustinere possunt
in cursu laborum eorum lumina. Ideo in tempestatibus cum
industria omnia lumina extinguunt etiam inferius, vel sub modio
ponunt. Custodiat peregrinus res suas diligenter, et nec inter

